



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Fames frenanda, ne vltra necessitatem ducat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

domari. Fames ergo virtutum est magistra, quamquam & ipsa magistris indigeat, ne sit occasio vitiorum.

XIV.
S. Augustin.
lib 10. Con-
fess. cap 31

Quod nemo accuratius obseruauit D. Augustino, qui DEVM ita alloquitur: *Est alia malitia diei, qua utinam sufficiat ei! Reficimur enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo prorsus aescas & ventri destruas: cum occideris indigentiam meam, satietate misericordiae, & corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suavis est mihi necessitas, & aduersus istam suauitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in ieiunijs, sapiens in seruitutem reuolvens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & sitis, quidam dolores sunt. Urunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Qua quoniam praesto est ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostra infirmitas terra & aqua & calum feruente, calamitates deliciae vocantur. Hoc me docuisti ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentia molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiae. Ipse enim transitus voluptas est: & non est alius, quam transeat quàm quò transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tamquam pedissequa, periculosa iucunditas, & plerumque praire conatur, ut eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. & sepe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo preparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quod satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, & inuoco dextram tuam ad salutem meam, & ad te refero aestus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem iubentis Dei mei: Non grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.*

XV.

Ne igitur grauentur, aut si hoc pacto grauata sunt, ut plestantur, DEVS æquissimo iudicio sterilitatem famemque procurat, scilicet, si clauso calo, pluuia non fluxerit propter peccata populi. Quod & olim, tempore Prophetarum, & postea sapius factum, legimus. Immo ut artes DEI in diuersa potentes sciamus, Anno Domini 819, non ob siccitatem, sed propter iuges pluuias, & aërem humore nimio resolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & homi-

2. Paral. 6. 26.
In Annalibus
Francor. An.
819.